ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

16
10

Ecce Responsionem meam, vir Nobil.mo, ad Boesseti epistolam, et censuram Thesaurarii generalis. quos malui superare ratione et modestia; quam ambitione et audacia. Tu judica an satisfecerim garrulitati eorum: et transmitte ad Mersennum perexpendendam, addita epistola singulari ad eundem a me data, quam apertam mitto ut eam prius legas, deinde clausam transmittas. Eundem velim serio inculces, ut quod proposuit prima oportunitate faciat; nimirum meam, et Boesseti, et Gouy modulationem Aëris gallici (me veux tu voir mourir &c.) ad Musicos excellentiores Romae, apud Imperatorem, Reges, atque Principes, agentes transmittat; eorumque censuras petat: Idque instanter meis verbis urgeto. Chartas illas gallicas quarum satietas me tenet remitto. Et nisi Galli rationibus deinceps mecum agant ego eos contemnam, ut tædium declinem. Ea porro quae a me volebas prima oportunitate tibi destinabo. Hac Scena prius absolvenda erat, quae remoram serijs meis studijs dedit. Nam ante paucos dies, cum Diagramma Constitutionum sex Specierum Diapason gradatim in scalis delineatum, (cujus exemplum nuper per Vanderburgium transmisi) accuratius examinarem, repperi methodum (quam jam paro) Continendarum singulorum intervallorum species, tum intentione, tum remissione vocis, gradatim in scalis singulis exhibitas: quarum contraria potestas est ob motum contrarium. Ex ista tabula Methodica, quilibet verba ac pronunciationem intelligens, statim poterit componere, et quodvis intervallum cum sua speciali potestate delectandi atque movendi seligere. Nihil est quod te latebit: nam ~~quot~~quot voles trihoria, dresque, colloquijs musicis totum impendam. Noli tamen amplius de ijs rebus dubitare, quas nuper movebas: nam ut vides, Boessetios, omnesque alij periti Musurgi, eos luce meridiana clariores habent. Sed quid de meis Responsionibus censeas, non perfunctorie significa: Simulque libr. P. Pazan Jesuite de praxi Musica, impress. Parisijs, tibi a Mersenno ante hac destinatum (videndum eum vult Mersennus) data oportunitate transmitto. Vale. Harlemi XIII Jan. CIↃ.IↃC.XLI.

Tuus servus

J. Alb. Bannius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2607

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2607